

APPLAVSVS DOCTORVM ACADEMIAE IVLIAE.



Anglia CRÜGERO, quem docto viderat ore
Promentem genii nobilioris opes,
Contulit ante abitum medici doctoris honores
Paucis hospitibus quos tribuisse solet!
Quid mirum, si, quem tanti fecere Britanni,
Seligat hunc medicum Saxonis aula sibi?

Hac novis novi Doctoris honoribus debuit

JO. ANDR. SCHMIDT, D.
PP. ordinis Theol. Senior & Abbas
Mariæ vallensis.

Divinum medicina bonum! maudandus honore,
Qvi tanto gaudet sedulitate bono.
Audent permulti savos depellere morbos,
Audent. Effectu nomina vana carent.
Qvi valet ingenio, qvi discit mente sagaci,
Qvi peragrat terras, qvi mala mente notat,
Is demum sanctæ Medicinæ dogmata doctus
Multumqve expertus, corpora morte levat,
Hæc Krügere, Tibi concessit Numen & auxit.
Factus es eximii portio clara gregis.
Egregie chymico-Medicorum inqvis in aurum,
Et mentis monstras aurea dona Tuæ.
Sis Tibi, sis aliis, sis omnibus utilis, atqve
Eripias morti corpora pressa malis.

qva

Dn. Doctori gratulabundus pio ex animo scribit

FRIDERICUS Weise/ D.
P, P. O, Sup. Gen. & P.

Doctrinæ, Krügere, tuæ documenta dedisti:
Monstrastiqve tuas mentis & oris opes.
Hinc jam deportas laurum, palmasqve decoras
Atqve capis meritis præmia digna tuis.
Hos tibi tum justos lætus jam grator honores;
His ego successus adprecor usqve novos.

Vive

Vive diu, ut magis emineas, prodesseque multis
Thesauris possis artis opisque tuæ.

gr. sc.

Helmst. d. 7. Dec,
1713.

ANDREAS JULIUS Bötticher / D.
Prof. Publ. Ord. & Archiat. Guelphic.

Quod laus virtutem comitetur digna decoram,
Præclaro exemplo doctæ CRÜGERE, probas,
Julia nam laudat TE nostra, Salanaque laudat,
Cum norit genii dona venusta TVI.
Ast addit, quod non dederat Germania, summum
Doctōris TIBI nunc Anglia culta decus.
Quod dum fit, merito de tanto lætus honore
CRÜGERO Nato gratulor atque Patri.
Nam quæ laude Pater gestat decora alta Magistri,
Hac quoque Doctōris nomina Natus habet.

*Paucis hisce Experientissimo Viro novos in Arte Medica
honores fastos felicesq, esse cupit*

RVD. CHRIST. Wagner /
Phil. ac Medic. D. Mathem. ac Natural. Prof. Ordin.
in Acad. Julia.

Aurea sit medicis hæc charta, sit aurea doctis
Qui pretio censent singula scripta suo
Quid juvat effossum terræ de fontibus aurum?
Aurum erit hoc medicum nobiliore loco,
Excellens doctrina suo splendore coruscat,
Atque aurum superat nobilitate sua
Optima nec virtus pretioso venditur auro,
Nec pretio constant optima Scripta Viri.
Quis neget? Atque egomet, meritis amplissime KRÜGER,
Compellor scriptum concelebrare Tuum,
Perdoctæ scriptum, quod judico carius auro
Et Medicis aurum suppeditare suum.
Macte Tuo ingenio, quo tanta arcana recludis,
Chymici & hinc auri pandis in arte viam.
Ut Tibi succurrat lætis successibus aurum
Et vivas digna prosperitate, precor.

gratulab. scr.

J. C. E. D. E.

Artes

Artes nutriri Virtute & honore per orbem,
Prisorum Effatum est; namque honor artis opus;
Nulli hominum patuit, templum Virtutis, honoris
Romanum, nisi qui strenuus Arte fuit.
Gratulor ergò TIBI Fautor de Laureâ amoënâ
Doctorem, quâ nunc TE *Anglia* ritè beat.
Accipe nunc *Latus* Laurum, sic gaudeo Tecum:
Sicque precor ferat commoda mille TIBI!

*In Favorem & memoriam Viri Nobilissimi ac præcellentissimi
Domini Authoris Rudolphi Augusti Krügeri, Illustrissima
Aula Saxo-Hildburghausana, Medicus famigeratissimi,
hisce brevibus, sese recommendare voluit*

M. JOH. HEINRICH THAMERUS,

Serenissimi Ducis Saxon: Confession. Concion.
Aulic. Consil. Consistor. ac Superintendens Ge-
neralis.

Auro de Medico scribens, prægrandia doces,
Et pariter tradis verba salutifera.
Sic ad langventum cedit hæc Medicina salutem
Et Tua pro merito fama perennis erit.

Ita animitus vocet ac gratulatur

JOHANNES CAROLUS SPIES, D.

S. Pr. A. W. Archiater.

Aurea cum Praxis Medicorum jure vocetur,
Præctica cognitio quem juvat, ille sapit.
Aurum, quos præstet usus ostendis AMICE,
Hos penitus Medicum noscere quemq; decet.
Hinc meritas laudes TIBI dulcis Hygea paravit
Ut TE post Studium Præctica visa beet.

Præcellentissimo Domino Auctori gratulabundus adfecit

GEORG OTTO Eichholz/

Prosecclesiastes Cathedral, Halberstad.

O quæcumq; Tua scripserunt, docte, *Camæna*
Fautor, inest genius doctus, aperta loquor!
Hinc crescat porro latum Tua Fama per orbem,
Sic Scriptum cunctis, utile dulce precor.
Tales ingenit pergas producere foetus,
Et Tuus in summa laude manebit honor.

Nobilis. atqve clarè Docto Dn. Doctori

hæc paucula amica manu apponere voluit, debuit

C. H. A. P. VV.

Non placet *Ambrosii* (*) & *Bernhardi* durior illa
In *Medicos* quondam sententia lata, quod horum
Sint inimica Deo & Christo præcepta, Piosqve
A cultu revocent animos, modo corpora, quæ sint
Affigenda cruci, titillent. Quomodo membris
Non sanis mens officium præstare valebit?
Quare divinum medicinæ credimus esse
Munus & in medicis sanctam venerabimur artem,
Ne desint medici, potius pia vota feramus,
Atqve ut doctrinam Medicorum tollat ad astra,
Promoveatqve magis KRÜGERUS nomine clarè
Doctorum lumen, votis precor atqve precabor.

(*) *Ambrosius* in Psalmum CXIIX. *Bernhardus*
Epist. CCCXXI. & Sermon, XXX. in Cant.
§. X. apud *Eliam Vejeliium* dist. Epistol. ad
D. *Beutelium* de præstantia Studii medici
p. 13.

gratulabundus adjicere voluit

M. JOH. CHRIST. LOSIUS,

Gymnasii Andr, Hild, Director.

Aspera *Hygea* parit *Medicos* doctosq; mederi:
Fertur ut *Heroës* aspera *Juno* dare
Aspera namqve via est, latebræ abstrusiqve recessus
Dantur, ad hæc *Diva* quæ sacra ducit iter,
Hoc iter ingressum quis Te, KRÜGERE, negabit
Aspera difficilis multa tulisse via!
Qui dum de *Medico Chymias* differis *Auro*
Pandis & ingenium judiciumqve Tuum
Hinc & *Hygea* lubens summos decernit honores
Quos habet & confert qui sua sacra colunt
Hinc Tibi post Magnos paritur perfecta labores
Gloria, Virtutis gloria vera comes:

Sis

Sis felix, precor, Arte Tua, lucreris & AVRO
Aurum! Sic Medici nomen & Omen habes!

gr. scr.

A. C. A. S. H. R.

DOctrinam KRÜGERE, tuam schola patria novit,
Multiplicis studii Julia testis erat.
Quam multum fueris medica versatus in arte,
Illud præ reliquis alma Salana docet.
Scripta loquuntur idem, quæ nunc Oxfordia monstrat,
Doctōris titulos cur neget illa TIBI.
Gratulor hoc specimen, tantos TIBI grator honores,
Jam dudum dignos sedulitate Tua.
Perge Tuis ausis doctūm volitare per ora,
Circum fama Tuum nomen in orbe ferat.
Has superaddo preces: Numen Tua cæpta secundet,
Fac possint alii rite valere, vale.

gratulandi causâ hæc adjicere debuit

LUD. HEINR. WIDDEKEN,
SS, Th. cult.

TAndem adventarunt optatæ tempora Messis,
Qveis tibi nunc Fili, qveis metiturqve mihi.
Ex quo te, Patruī monitum exemplumqve, secutum,
Ad Medicas artes applicuisse juvat.
Quam benè Consilium Medicum successerit, illud
Eventus jam nunc edocet, acta probans.
Lætor ego ex animo tibi summos grator honores,
Qvos capis, ut studii digna Brabea tui:
Perge bonis avibus! Deus ausa & vota secundet,
Tuqve Artis Medicæ commoda multa metas.

Hicce filio suo optima quæq, ex paterno amore apprecare voluit

M. MARTINUS Krüger/
Past. Sen. ad Divum Magni Brunf.





